
TESTIMONIVM
ADVERSVS GERSENISTAS TRIPLEX,

LVCÆ HOLSTENII.
LEONIS ALLATII.
CAMILLI DE CAPVA *Benedictini.*

Ab ANTON. FRANC. PAYEN, *Aduocato in Curia Romana celeberrimo literis consignatum.*





PARISIIS,
Apud { SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis ac Reginæ Architypographum: ET GABRIELEM CRAMOISY. } viâ Iacobæâ sub Ciconiis.

M. DC. LII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



NOBILISSIMO
Doctissimóque Viro
ANTON. FRANC. PAYEN,
CAVSARVM IN CVRIA ROMANA
Patrono Celeberrimo,

GABR. NAVDÆVS, S.P.D.

QVOD vulgò dicitur, posse facili negotio quemlibet in optima causa disertum esse, de te non item, VIR CLARISSIME, *qui* Kempensem *tot ingenij, & doctrinæ luminibus illustrare voluisti, absque iniuria dici posset. Quando in cæteris omnibus quas tueri, atque defendere contendis, eosdem semper orationis flosculos, eadémque rationum, & auctoritatum momenta adhibere consueuisti. Verumtamen in hac omnium æquissima triumphare te, & spolia opima de* Caie-

tano *referre, qui primus indugredi viam sceleris est ausus, primúsque* Valgrauiis *&* Quatrimariis *Bucconibus illis notißimis, signum velut ex arce protulit, vt fallere similiter, mentiri, calumniari, & fraudibus ac imposturis, inuolare in aliorum possesßiones auderent, nemo bonus est qui non libenter videat. Mihi verò literas, quibus tam graphicè* Caietanum *depinxisti, vt pudore suffundi debeant, quicumque vestigiis eius insistunt, nomini meo inscriptas à te fuisse, tam gratum atque acceptum est, quàm quod potest esse gratißimum. Etenim præter quam, nulla re citiùs, aut validiùs, impudentißimorum* Gersenistarum *audacia, quàm tui similium, hoc est Clarißimorum hominum suffragiis, retundi potest; rem insuper meam, testimoniis nuper à te Roma transmißis, sic promoues, vt ne quidem à me his Comici verbis appellatus,* obsecro te operam mihi vt des, nec sinas in me, insignite fieri tantam iniuriam, *præstare quicquam, aut* Kempensibus *cunctis vtilius, aut mihi etiam honorificentius potuisses. Quamobrem ago tibi de illis gratias quàm possum maximas, & referrem etiam si meæ tenuitatis esset, præclaris tuis & immortalibus factis vices aliquas repende-*

re; aut potiùs ipsa tua virtus, & rectè facti conscientia, præmium non esset, omnium, quæ tibi à me, aut quibuslibet aliis reddi possent amplissimum. Cæterum, quòd eiusmodi literas te, vt arbitror, non inuito, sed inscio tamen, & inconsulto, peruenire in omnium manus voluerim, facit acerba in me, & nefaria prorsus coniuratio Cucullatorum aliquot, quos si Benedictinos *appellem, vereor omnino, ne huic probo sanctóque viro, qui nomen illis suum quondam indulsit, iniuriam facere videar non mediocrem; Cùm ipsi, præter vestem, haud secus ac Sarabaita ille* Caietanus, *nihil omnino quod eius fuerit, retineant, sintque potiùs,*

Fæx hominum, fons stultitiæ, sentina malorum,
Agnorum sub pelle lupi, mercede colentes
Non pietate Deum.

Nempè cùm ipsi vidissent retectas à me fuisse Caietani *fraudes, & pessum ruere fideli mea testificatione* Gersenem *illum, quem velut idolum quoddam omnibus adorandum proposuerant; statim tanquam si in eorum arua bene culta & præpinguia tempestatem immisissem, aut tectis flammas, ferrum iugulo supposuis-*

ſem; coactum in me fuit conciliabulum Fratrum quos Fraterrimos *dicere poſsis; Quæſitus homo, nec facilè tot inter Belluas inuentus; deſignatus tandem vel vnico tetri, & cadaueroſi vultus indicio prōptiſsimus ad quodlibet ſcelus audendum carnifex, qui me immerentem licèt innocentémque, velut omnium ſceleſtiſsimum traduceret; qui Codices MSS. quorum illos præſidio, mea Relatione ſpoliaueram, non à* Caietano *Sycophanta illo notiſsimo, ſed à me vno corruptos fuiſſe diceret; qui me in hoc ſcelere perpetrando pulueribus medicatis vſum aſſereret; qui teſtem quoque laudaret flagitÿ à me perpetrati certiſsimum. Quibus ego accuſationibus grauiſsimis, quibus probris, & familiæ meæ, cui ruborem incutere nemo poſsit, dehoneſtamentis, niſi obuius irem modis omnibus, quibus ſe atque honeſtatem & dignitatem ſuam tueri, vnicuique conceſſum eſt, vitam profectò mihi non grauem tantùm aut iniucundam fluere, ſed acerbiſsimam experirer. Quamobrem nemo opinor cui ſuus honos curæ ſit, ſuccenſere mihi iure poteſt, quòd meum quoque vt tuear, & ſartum illibatúmque conſeruem, toties in arenam deſcendam, & ſtylo ac calamo ſtrenuè cum illis congrediar, qui me eò vſque ſibi capitalem aduerſarium ha-*

bebunt, factisque agnoscent, quoad testis ille non fictus modò, & falsus, sed obedientialis Quatrimarius,

Tristia cui nigro viscera felle tument,

earum me falsitatum reum esse certis legitimisque probationibus demonstrarit, quarum me dudum accusare non est veritus; Aut certè Superiores *eius Cucullati, quorum obsequio turpi, longè turpius* mandatum *exhausit, eum me esse declarent, quem læsum à* Quatrimario *nollent; & cuius honori atque integritati, nihil vnquam decedere poßit, siue Quatrimarianis istis accusationibus, siue stultis oppidò, & futilibus argumentis, quæ* Relationi *meæ de quatuor MSS. Codicibus à* Caietano, *Romæ deprauatis, opposuerunt. Secus enim, mihi, nec optimæ causæ, nec honori meo deesse certum est,*

Dum memor ipse mei, dum spiritus
hos reget artus.

Quod equidem tibi, VIR CLARISSIME, *significandum duxi, ne tu qui solo veritatis amore ductus, tam blandè, comitérque eorum me certiorem facere voluisti, quæ detectis à me in* Coniectione *mea* Kempensi, *duabus supra viginti* Caietani *fraudibus & imposturis, mantissæ loco esse poßint, eorum sis nescius*

quæ hîc aguntur quotidie, in ſtolidos quoſdam Caietani fautores, qui ſoli ex tot nigricantibus Monachis, damnata iamdudum communibus bonorum omnium ſuffragiis cauſa, tibicines exiſtunt. Miraberis ſcio nequitiam hominum, quos vulgus incautum, ex arctioris vitæ titulo quem ſibi perperam indiderunt, cæteris fore meliores exiſtimat: ſi non potiùs ſumma iſtorum dementia eſt, in cauſa Kempenſi, *quæ totius Europæ iudicio, nihil prorſus ad Benedictinos attinet, Benedictinos ipſos Pariſienſes, tandiu ſe vel pueris ipſis deridendos exhibere, & nihil vſquequaque fraudis, mendacij, flagitij prætermittere, quo genuinum* Thomæ Kempenſis *fœtum*, Gerſeni *cuidam Abbati Benedictino vendicent, quem profectò, nullus vnquam verbis iſtis compellauerit:*

Dic quis, & vnde venis, tibi vbi patria, atque parentes?

Quin ſtatim intelligat laruam eum meram & ridiculam fuiſſe, non hominem; & hercle dies me potiùs quàm materia deficeret, ſi luctari cum iſta larua diutius vellem. Verùm hæc pugna alterius forſan erit loci & temporis, finémque dicendi in præſentia facio, ne in tua commoda peccem, ſi longo ſermone mo-

rer ea tempora, quæ tu grauioribus negotiis impendere consueuisti: vnum tantùm enixè à te contendo, scilicet vt incomparabili viro Leoni Allatio, *tot me nominibus obstrictum esse significes, ob libenter ad me transmissum ex instructissima Bibliotheca sua, Manuscriptum Codicem, quo hîc, ad asserendam in publico iudicio Relationi meæ fidem, nihil accidere potuit opportunius, vt gratias quas illi referam huic negotio pares, nondum inuenerim, minores autem agere non debeo; sed non mei potiùs quàm Reipublicæ totius literariæ interest, publicum hoc emolumentum, publica gratulatione prosequi, quæ sanè tempestiua semper adueniet, cùm triumphatis omnibus* Gersenistis, *sua cuique decantabuntur ob res præclarè fortitérque gestas Epinicia; quibus etiam Musarum ocellus deliciæque* Lucas Holstenius, *ob nauatam in tuenda veritate* Kempensi *haud segnem operam, carere absque piaculo non posset. Vtrique verò si me de meliori nota commendatum esse velis, eiúsque loco me ipsum habeas, qui tibi sit addictissimus, facies profectò quod tui moris est, humanissimè.*

Datum Parisiis pridie Kalend.
Octob. M. DC. LI.

Quicumque conuitio, vel maledicto, vel etiam CRIMINIS *obiectu alterum læserit; meminerit satisfactione quantocyus curare, quod fecit; & ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere.*

Et paulò pòst: *Proinde vobis à verbis durioribus parcite: quæ si emissa fuerint ex ore vestro,* NON PIGEAT EX IPSO ORE *proferre medicamenta, ex quo facta sunt vulnera.*

Augustinus Regulæ cap. x.
quod est *de litibus cauendis,*
& vbi emerserint sopiendis.



GABRIELI NAVDÆO, VIRO DE REPVBLICA LITERARIA BENE MERITO,

ANT. FRANC. PAYEN, S. P. D.

EXHIBVIT mihi *R. P. Iacobus Guerinus*, in hac Curia Congregationis Gallicanæ Canonicorum Regularium generalis Procurator, vir præ animi candore, & ſingularis probitatis exemplo, mihi amiciſſimus, ſupplicem libellum Supremo Senatui Pariſienſi à te porrectum, ſuper vindiciis auctoris librorum *De Imitatione Chriſti*, vnà cum duobus libris ſimul editis, quorum pri-

mus *Valgrauio*, alter Theologo cuidam Parisiensi adscribitur; Rogauitque obnixè, vt quid mihi de illis sedulò diligentérque perlectis videretur, in hanc, aut aliam ad te epistolam coniicerem. Verùm quoniam eius humanissimæ postulationi, propter Forensia negotia quibus sub finem Rotalis huius trimestris premor vndique, & tantùm non obruor, satisfacere, mihi admodum difficile esset; Præsertim cùm Methodus negatiua, quæ posteriori huic, pro Achille est, tanquam rectæ rationi, & Historicæ indagini, legúmque Sanctionibus aduersa, contemni potiùs quàm accuratè refelli debeat; Neque sanè aliquid in *Valgrauio* animaduertam, quod ab aliis identidem pleniùs, audaciúsque scriptum antea non fuerit. Cogitaui propterea rem me

tibi haud ingratam, inutilémve facturum, si negatiuis argumentationibus, aut omnino neglectis, velut ignauo, & prorsus absurdo veritatis inuestigandæ critirio, quo malefeRiatus quisque vti, si non potiùs abuti pro libito, etiam in res sanctissimas potest; aut earum saltem censura (si me rursum de illa Pater Guerinus appellandum duxerit) in commodius aliquod tempus dilata, earum nunc rerum certiorem te faciam, quæ *Coniectionis* tuæ Epimetrum esse possint, in iis præsertim, quæ de *Constantini Caietani* Monachi Benedictini malis artibus, & vesano luxatæ mentis in suum Ordinem studio, tam exquisitè, luculentérque demonstrasti. Etenim *Caietanus* ille quoad vixit, laborauit continui morbo delirij, in iis præsertim rebus quibus sui Ordinis gloriam, aut

augeri, aut illuſtrari quocumque tandem modo poſſe ſibi perſuaſerat. Vnde cùm illi ſua ſomnia & deliria, quæſitis hinc & inde circunſtantiis munire, aut rationum vmbris (quibus res antiquæ & occultæ vix vnquam deſtituuntur) veſtire quodammodo, contigerat, ea confeſtim, non modò pro veris & certis in publicum proferebat, ſed ſicubi deficerent, infami prorſus mangonio, artibúſque vetitis, corroborare nitebatur. Sanè poſſem tibi, *Clariſſime Naudæe*, teſtes non de auditu modò, ſed de viſu, eóſque mihi adeo familiares, vt etiamnum hodie cum illis ſermones habuerim, adeóque ſiue eorum vitæ probitatem, ſiue dignitatem attendas, omni exceptione maiores afferre, imò verò niſi & Epiſtolij iſtius breuitas, & innata ipſorum modeſtia votis meis

obesset, nominare quoque illos possem, qui mihi sanctè affirmarunt, deprehensum à se *Caietanum* fuisse, dum fumo recentes Codices MSS. tingeret, & alios aceto, Chymicisque pulueribus & medicamentis adulteraret, quò scilicet antiquorum loco, ab imperitis, miniméque malis hominibus haberi possent. Quòd si de auditu, & fama publica testes audiendi sint, tot ego proferre in medium facili negotio possum, quot vnquam homines *Caietanum* Romæ degentem, & impunè, atque infrunitè Benedictinorum suorum honori, per mille fraudes & versutias consulentem, obseruarunt. Quos inter tres tantùm hîc appello tibíque subindico, qui meritorum suorum ratione, æquari haud iniuria mille aliis possunt. *Lucam* nempe *Holstenium*,

in Principis Apoſtolorum Baſilica Canonicum, & inſtructiſſimæ Barberinæ Bibliothecæ præfectum, virum incredibili ſua eruditione, non vrbi modò, ſed orbi quantumcumque ille varias in partes atque diſſitas ſe diffundat, notiſſimum: *Leonem Allatium* Philologum quotquot vnquã extiterunt præſtantiſſimum, tantúmque famæ ſuis & innumeris, & immortalibus libris adeptum, vt peruagatæ nominis ſui gloriæ ſecurus exiſtat; ac tandem *Camillum de Capua* Benedictinum Aſcetam, Cauenſis Monaſterij Bibliothecarium, antiquæ probitatis hominem, veritatiſque amantiſſimum, qui teſtis in hac cauſa locupletiſſimus eſſe poteſt, quandoquidem, eiuſdem Ordinis Benedictini cùm ſit, cauſam cur *Caietanum* fraudis & mendacij arguat, præter æqui rectique

amorem, habere profectò nullam poteſt.

Primus itaque iſtorum, nempe *Lucas Holſtenius*, mihi (prout ſui moris eſt) candidè retulit, & in verbo veritatis confirmauit, ſe intus, quod inquiunt, & in cute nouiſſe *Caietanum*, eúmque Barberinis in ædibus, quas adire frequenter conſueuerat, ſuppoſitionum arguiſſe, quas paſſim committebat, & quibus inueſtigandis, ſe auctoritate ſacræ Congregationis indicis, & ſacri Palatij, non ſemel præfectum fuiſſe aſſerebat; adeóque genium illius perſpectum ſibi eſſe, & tot obſeruata ſibi fuiſſe vetuſti temporis monumenta, ipſius *Caietani* manibus impuris violata, adulteratáque contendebat, vt mihi cauendum omnino ſignificaret, ab omnibus quæ vel ab ipſo *Caietano*, vel ab eiuſdem aſſeclis edita com-

perirentur. Subdens habere se præ manibus, vnde posset sole clarius ostendere, omnia ferè quæ *Caietanus* scripsit, apocrypha esse, suppositi- tia, atque ex cerebro eius proprio conficta. Et verò dignum presertim animaduersione censuit, quòd ipse, cùm à Patribus Benedictinis, pro ea humanitate qua cunctos demereri solent, in locupletissimam Biblio- thecam, quæ Florentiæ Codicibus MSS. admodum referta est, admit- teretur, & inter collocutiones varias *Caietani* mentio incidisset, eum sta- tim Patres ipsimet Benedictini hoc elogio prosecuti sunt, *Caietanus no- ster, quotquot MSS. Codices è Bibliothe- cis nostris arte vel ingenio potuit auferre, nullum non reuoluit lapidem, donec voti sui compos euasisset, quos verò adipisci nulla ratione potuit, suo vt genio indul- geret, deprauauit, aut corrupit, quemad-*

modum ex hoc antiquo MS. Codice, quem tibi oculis subiicimus, facilè de aliis potes coniicere, in quo plura folia, Caietani ipsius manu lacerata offendimus. Sed memini præterea Clarissimum *Holstenium* retulisse mihi, quòd, vrgentibus cum Patre *Ioanne Anglo* nonnullis aliis Benedictinis *Caietani* dudum asseclis, nullúmque non lapidem mouentibus, vt typis Vaticanis seu Congregationis propagandæ fidei, Tomi illi xx. *Caietani* studio hinc & inde collecti super Regula sancti Benedicti, ederentur, quam tamen vix vnquam Romæ *Caietanus* quasi solutus legibus, ac vagus, & erro, suóque, non alieno more viuens, obseruauit; ipse cui horum examinandorum prouincia, à R. sacri Palatij Magistro demandata fuerat, suppositirios eos, multísque in locis adulteratos deprehendit, vnde cau-

tum postea fuit, ne quisquam Romę, eorum vnquam moliri, attentaréque editionem auderet. Quid plura? subiunxit idem, se illius temporis etiamnum meminisse, quo in præfatis ædibus Barberinis & coram viris literatis, qui frequentes in illis aderant, cùm à *Caietano* quæsiuisset, qui fieri possit, vt auctor librorum de *Imitatione Christi* Italus esset, qui stylo scripsit ab Italico non secus diuerso, quàm distat ab Italico Belgicus, aut à meridionali plaga Borealis; eundémque *Caietanum* vrgeret, vt auctorem Italicum ex tot millibus quos euoluerat, vel vnum proferret, qui formula hac, *tenere totam Bibliam exterius*, vllo vnquam tempore vsus fuisset, obtestaretúrque vt locutionis istius genuinum sensum, voce aliqua vel Latina vel saltem Italica redderet; obmutuit profectò ad hæc

omnia *Caietanus*, à quo vix ſilentium impetrari poterat, cùm de rebus aliis ſermo habebatur. Docebat igitur circunſtantes amicos *Holſtenius*, cui non minus Belgica lingua, quàm reliquæ omnes ſunt notiſſimæ, formulam hanc loquendi prorſus Belgicam eſſe, quandoquidem ita Belgis vſu venit, vt quod alij dicunt *tenere rem, aut librum aliquem memoriter*, ipſi *tenere rem, aut librum exterius* dicant; non ſecus ac Italorum iſtud *optimum eſt vt patientiam habeas*, Belgis, & auctori librorum de Imitatione Chriſti, qui *Belga* non *Italus* extitit, per hæc verba redditur, *optimum eſt vt te patiaris*, quibus alia inſuper addebat exempla Clariſſimus *Holſtenius* ad vnguem ſimilia, quæ hîc breuitatis cauſa prætermittenda duxi, quoniam ab eo qui ſimul Belgicam & Latinam phraſim intelligit, ignorari nul-



lo pacto possunt. Phrasim autem significanter dixi, vt malignæ, aut supinę *Gersenistarum* opinioni obuiam eatur, qui eam, conferendo terminationem verbi Latini cum Italico, aut Theutonico, cum verbis ipsis confundunt, à quibus illa, vt Grammaticis etiam de triuio notum est, non pendet; sed à continuata quadam orationis constructione, verborúmque artificiali combinatione, quam propriè Hebraïsmum, Græcismum, Theutonismum, sicque de singulis linguis discurrendo, nuncupamus, vt etiam DD. *Hieronymus* præfatione in Pentateuchum, *Augustinus* libro secundo de Doctrina Christiana, aliíque non obscuri nominis auctores animaduertunt. Vnde quemadmodum optimè subdebat doctissimus *Holstenius*, quod attinet ad hæc verba *contentari, grosse, sententiari, con-*

tentiosus, occasionatus, & alia, quibus inferunt *Gersenistæ* auctorem librorum *de Imitatione* Italum fuisse, Responsio in promptu est, videri potiùs illa, linguis ferme omnibus aliis, cùm sermonis nitorem non curant, ita esse communia, vt vni tantummodo vindicari non possint; aut si alicui peculiaria sint, ad Gallicismum potiùs esse referenda, quibus Gallici codices antiqui passim referti leguntur; Budæo siquidem teste, constans est Belgas viciniorésque nationes alias, Gallicos loquendi modos imitari studuisse. Atque hæc cùm ipsimet *Caietano* obiicerentur, haud secus obmutuit, quàm si de *Gersene* nunquam audiuisset quicquam, aut dixisset. Neque verò tunc, quod maximè notandum, suos in subsidium Codices MSS. aduocauit, quandoquidem sciebat, non cum Marconio

aliquo, cuius nomen apud viros literarum aut antiquitatis ſtudioſos minimè notum eſt, ſibi rem eſſe; ſed cum *Holſtenio*, hoc eſt eruditionis omnigenæ, linguarúmque ferme omnium promo condo, cui fraus ipſa ſtatim ſuboluiſſet. Eadémque de cauſa neque Illuſtriſſimo Equiti *Caßiano à Puteo*, neque R. Patri *Chriſtophoro Puteano*, neque *Leoni Allatio*, neque Abbati *Ferdinando Vguello*, neque tot aliis, qui in hac aula supremę in literis rebúſque diiudicandis, auctoritatis laude florere conſpiciuntur, eoſdem vnquam conſpiciendos offerre voluit; quamuis vel vnius ipſorum iudicio, obſtruere tibi Clariſſime *Naudæe*, & Kempiſtis omnibus ora, facili negotio potuiſſet. Quinimò veſtigiis eiuſdem *Caietani* inſiſtens Pater *Ioannes* Anglus, qui ſicut viuenti *Caietano* Comes indiui-



duus ; & *Gersenici* negotij fautor, ita quoque ab illius morte *Anicianæ* Bibliothecæ Curator extitit, tantùm abest vt Codices ipsos MSS. de quorum integritate controuertitur, ex eadem *Aniciana* Bibliotheca, postquam euacuata lite, Anicianis ipsis adiudicata fuit, depromere, palámque ostendere viris idoneis voluerit, quòd dica illi à Prætore non semel indicta (vt ex monitoriis ad te transmissis constat) pudendis tergiuersationibus, petitam dictorum Codicum MSS. exhibitionem vitare, [redacted]studuerit. Hoc verò facere, si non est hominis de MSS. fraude & corruptela sibi probè conscij, nescio profectò cuius alterius esse possit ; maximè cùm illorum exhibitio, modò sint illibati & legitimi, certam *Gersenistarum* rebus conclamatis, victoriam afferre, *Ca-*

ietano verò dedecus & infamiæ notam auferre, primo ſtatim aſpectu poſſet. Sanè totius Benedictinorum Congregationis intereſt, prolatis aliquando MSS. iſtis, tam importunæ & odioſæ liti finem imponere, vt ſi veri ſint, abſque vlla fraude, vel dolo, ſuis bonis, nemine ampliùs illi obſtrepente fruatur, ſecus verò ipſa

Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis

Diuitiis animoſa ſuis,

à vicinorum agris falcem impoſterum abſtineat, quod vt breui contingat voueo etiam ego ex animo, qui me præ cæteris, tam inſigni & laudabili Ordini addictiſſimũ profiteor, méque ſodalibus quibuſdam Benedictinis, viris ſummè probis amicum eſſe, maiorem in modum gaudeo.

Sed venit ecce Palæmon alter, ſeu

Testis secundus, nempe Leo Allatius,

meritò cui doctior orbis
Submissis defert fascibus imperium.

Is igitur cùm aliquando mecum de *Caietani* genio sermonem haberet, videri sibi Caietanum dixit tãquam ictero laboraret, ita perpetuò desipuisse, vt quæcunque suis oculis se sisterent, ea sibi, & soli, Benedictina viderentur. Atque ex eo factum est (vt mihi subiunxit idem Allatius) quòd postquam ex *Ignatio, Thoma, Gregorio magno, Paulo quarto*, aliísque sub habitu Benedictino repræsentatis, risum omnium in se concitasset, adeò etiam sui oblitus sit, vt quod olim de eo non extra iocum vel ironiam Cardinalis sanctæ Susannæ *Cobellutius* prædixerat, videlicet periculum esse ne *Petrum*, imò *Christum* ipsum aliquando *Benedictinos* face-

ret, ſcriptis & factis facere hodie ten-
tauerit: ſiquidem ingreſſus ille Ec-
cleſiam ſancto *Sebaſtiano*, aut quem-
admodum hîc loqui amat plebecu-
la, *Baſtianello* dicatam, ad Titi & Ve-
ſpaſiani arcum, in qua alteri quàm
cæcutienti, vel deliranti, non ap-
paret alia depicta effigies, niſi duo-
rum ſanctorum militum *Marci* &
Marcellini, hinc & inde Beatæ *Virgi-
nis*, aut quod Allatio, & mihi placet,
ſanctę *Irenes* alteriúſve mulieris ima-
ginem ſtipantium, cœpit tamen *Ca-
ietanus* extemplò pronunciare, mu-
liebrem illam effigiem gemmis, &
monilibus collo appenſis ornatam,
veram & genuinam eſſe D. *Benedicti*
iconem, cuius latera clauderent A-
poſtoli duo Principes *Petrus* & *Pau-
lus*; atque ita veſte muliebri pro Be-
nedictina, & militari pro Apoſtolica
abuſus, additiſque ex proprio cere-

bro variis elogiis, eam nobis D. *Benedicti* tabulam ære ſculptam propoſuit, quam videre quicumque ſuis oculis rectè vtitur non poteſt, & *Caietanum* ipſum, tanquam omnino fatuum & ridiculum non ridere. Quemadmodum factum ab ipſomet *Leone Allatio* fuiſſe, nemini qui librum eius de perpetua Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ conſenſione, nuper fauſtis omnium votis & acclamationibus editum euoluerit, dubium eſſe poteſt. Primi ſiquidem libri cap. 6. totam hanc hiſtoriam ſic perſtrinxit, vt homini qui in re tam obuia, & aperta impudentiſſimè ſit mentitus, nullam poſtea in cæteris, maximè verò Benedictinis, fidem eſſe adhibendam, haud dubiè, cunctantérque ſubindicet.

Verùm exigit à me longior ſolito Epiſtola, vt tertius teſtis in medium

tandem adducatur, nempe *Camillus de Capua*, Cauensi Bibliothecæ Benedictinæ præfectus, quem aliquando cùm inuiseret *Holstenius*, eiúsque seriò mentem ac sententiam de vulgato *Cauensi* MS. codice percunctaretur, respondit ille videri sibi & multis aliis, vnum hoc esse ex *Caietani* mendaciis, quandoquidem nec in indice recenti librorum omnium dictę Bibliothecæ, quem ex officio suo penes se habebat; nec in vetustioribus aliis omnibus, libri istius mentio vspiam apparebat, contrà quàm fieri omnino debuisset, si *Caietanus* sincerè fideliterque eum ex aliorum classe eduxisset; vnde concludebat *Caietanum*, maiorem vt libro suo fidem, auctoritatémque conciliaret, finxisse hunc è Cauensi Bibliotheca depromptum à se fuisse. Neque verò est quòd aliquis obiiciat, malè à no-

bis impugnari *Caietanum* argumento negatiuo, quandoquidem illud tanquam homine indignum qui fallere aut falli nolit suprà reiecimus; Etenim quoties negatiua provt hîc occurrit, coarctata reperitur determinatis persona, loco, & tempore, aliísque possibilitatem in cõtrarium excludentibus circunstantiis, tunc illam probationi faciendæ idoneam esse, nemo non iudicat, vnde cùm hîc habeamus Bibliothecarium, & quidem Benedictinũ, hoc est testem domesticum, qui ingenuè fatetur, neque in indice Bibliothecæ *Cauensis* nouissimo, neque in antiquioribus aliis librum hunc MS. apparere, quem *Caietanus* ex ea se Bibliotheca deprompsisse iactat, cur auctoritati illi negatiuæ fides integra non habeatur, causa profectò assignari nulla potest. Cæterùm nisi tem-

poris angustiis maiorem in modum premerer, possem quoque tibi mittere Iudicium Congregationis Cassinensis de *Caietano*, tum etiam *Caietani* ipsius in *Valgrauium* Pythagoricam quandam Metempsychosim, demúmque singularem ad quælibet verba & argumenta Doctoris illius, qui negatiuis auctoritatibus, omnia súsque déque apud vos miscet ac perturbat, responsionem. Verùm labor iste in sequentes veredarios reiiciendus est. Tu interim vale etiam atque etiam, méque & Doctissimo *Gassendo* quem dudum colo summopere, & R. Patri *Morino* Domus Sangenouefianæ (ni fallor) Procuratori meritissimo, quando tibi occurrent, salutem nuncia meo nomine plurimam. Datum *Romæ* Idibus Iulij 1651.

poris angustiis maiorem in modum premerer, possem quoque tibi mittere Iudicium Congregationis Cassinensis de *Caietano*, tum etiam *Caietani* ipsius in *Valgrauium* Pythagoricam quandam Metempsychosim, demúmque singularem ad quælibet verba & argumenta Doctoris illius, qui negatiuis auctoritatibus, omnia súsque déque apud vos miscet ac perturbat, responsionem. Verùm labor iste in sequentes veredarios reiiciendus est. Tu interim vale etiam atque etiam, méque & Doctissimo *Gassendo* quem dudum colo summopere, & R. Patri *Morino* Domus Sangenouefianæ (ni fallor) Procuratori meritissimo, quando tibi occurrent, salutem nuncia meo nomine plurimam. Datum *Romæ* Idibus Iulij 1651.



poris anguſtiis maiorem in modum premerer, poſſem quoque tibi mittere Iudicium Congregationis Caſſinenſis de *Caietano*, tum etiam *Caietani* ipſius in *Valgrauium* Pythagoricam quandam Metempſychoſim, demúmque ſingularem ad quælibet verba & argumenta Doctoris illius, qui negatiuis auctoritatibus, omnia ſúſque déque apud vos miſcet ac perturbat, reſponſionem. Verùm labor iſte in ſequentes veredarios reiiciendus eſt. Tu interim vale etiam atque etiam, méque & Doctiſſimo *Gaſſendo* quem dudum colo ſummopere, & R. Patri *Morino* Domus Sangenoueſianæ (ni fallor) Procuratori meritiſſimo, quando tibi occurrent, ſalutem nuncia meo nomine plurimam. Datum *Romæ* Idibus Iulij 1651.



poris angustiis maiorem in modum premerer, possem quoque tibi mittere Iudicium Congregationis Cassinensis de *Caietano*, tum etiam *Caietani* ipsius in *Valgrauium* Pythagoricam quandam Metempsychosim, demúmque singularem ad quælibet verba & argumenta Doctoris illius, qui negatiuis auctoritatibus, omnia súsque déque apud vos miscet ac perturbat, responsionem. Verùm labor iste in sequentes veredarios reiiciendus est. Tu interim vale etiam atque etiam, méque & Doctissimo *Gassendo* quem dudum colo summopere, & R. Patri *Morino* Domus Sangenouefianæ (ni fallor) Procuratori meritissimo, quando tibi occurrent, salutem nuncia meo nomine plurimam. Datum *Romæ* Idibus Iulij 1651.



poris angustiis maiorem in modum premerer, possem quoque tibi mittere Iudicium Congregationis Cassinensis de *Caietano*, tum etiam *Caietani* ipsius in *Valgrauium* Pythagoricam quandam Metempsychosim, demúmque singularem ad quælibet verba & argumenta Doctoris illius, qui negatiuis auctoritatibus, omnia súsque déque apud vos miscet ac perturbat, responsionem. Verùm labor iste in sequentes veredarios reiiciendus est. Tu interim vale etiam atque etiam, méque & Doctissimo *Gassendo* quem dudum colo summopere, & R. Patri *Morino* Domus Sangenouefianæ (ni fallor) Procuratori meritissimo, quando tibi occurrent, salutem nuncia meo nomine plurimam. Datum *Romæ* Idibus Iulij 1651.